

www.e-rara.ch

**Maur. Antonii Cappellerii Phil. & Med. Doct. ... Nec Non Reipubl.
Lucernensis Centumviri, Pilati Montis Historia In Pago Lucernensi
Helvetiae Siti**

Cappeller, Moritz Anton

Basileae, 1767

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: UBH Falk 279

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-101735>

Cap. IV

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]


Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

1735. 12. Junii, hora fermè 6. a meridie, duae concussiones momentaneae quidem, sed satis validae, animadversae sunt, ita ut mallei campanarum horariarum sonum dederint, & campanilium pyramides vibrationes egerint satis validas, ut mihi videbatur ex occidente in orientem; horae uno minuto a prima commotione posterior secuta est.
1755. 9. Decembr. hora 2. & 35. minuta post meridiem, cum tota fermè Europa satis valide Lucerna cum ipso etiam Pilato concussa fuit.

Pestes & Mortes frequentiores.

1313. Pestis, quae per totam Germaniam, etiam in Pilati ad-
sitis territoriis immaniter grassavit.
1374. Alia item saeva, qua tertia hominum pars extincta est.
1550. Januario mense in his locis mortes subitaneae plurimo-
rum, subsequente eodem anno peste.
1564. Alia pestis denuo apud nos invaluit, plurimis occum-
bentibus.
1604. Inter Bovinum genus pestilens morbus, cum tubercu-
lis in lingua: quibus ea ferro aperirentur, interibant,
si autem argenteo cuspide, sanabantur.



C A P. IV.

Hydrographia Pilati.

Aquas terreni globi superficiem perreptantes, ab altioribus locis & montibus, ceu inexhaustis penuariis, prima sua stamina & scaturigines potissimum trahere, satis omnibus patet; propterea apte admodum Montes Hydrophilacia salutantur: excipiunt etenim tam extrinsecus quam intrinsecus in suis visceribus aquas, quibus rivuli, fontesque initiantur. Aguas dicimus

dicimus adveſtas: nam quis cum SENECA ſtatuet Montium terram in aquam reſolvi, & ſic fontes progignere? *N. Q. III. 9. 10.* Non aequè autem nobis licet hydrophilacia iſta eum omnino praeſfigurare in modum, qualia depinxit alicubi liberalis nimium naturae Genius, qui totas montium moles excavat, & ſpatioſiſſima affabrè admodum fornicata hypogaea, [nihil oblitus praeter, juxta ordinem Toſcanum aut Ruſticum, ſuſtentantes columnas,] intra eviſceratos ſubſtituit, in quae per providè ordinatos canales & ſyphones, magnos ac parvos, ſuſum verſus cacumina ab imis terrae interioribus truſae aquae, jugi fluxu exonerentur, illaeque ſic veluti in Maria aenea collectae, demum circum circa ad cavi Montis externa latera, & radices pro formandis ſcaturiginibus diſtribuantur. Quà autem vel vi vel arte ſuſum hucuſque enitantur aquae, & ultra, caeteroquin tam ſanctè à natura obſervatam libellam, aſcendant, ſi quaeras? ajunt ab aqua marina, utpote graviore, ſuſum leviozem & per arenas edulcoratam ad aequilibrium pelli: deinde etiam procellis agitati maris decumanos fluctus, montibus excelsis aequè altos, in ſublime, multum etiam diſſitis in locis, illam protrudere. Addunt Atmoſphaeram ſuo pondere liberius ampliſſimam Oceani ſuperficiem premere, & ſic interraneas, in quas ponderantis aëris vim integram non eſſe, propulſari: capillarium tubulorum vel tenuium ſyphonum experimentum allegantes, quibus non abſimiles minimos canaliculos fiſtulasque amplis faſciis, iisque longiſſimis, intra telluris viſcera, ceu lymphatica quaedam vaſa exſtare; ut opinionem ſuam tueantur, audacter contendunt. FELICE STOCCHETTI *Ragion. p. 154.*

Non vacat plenius quanti haec aſſerta habenda ſint, ventilare; utpote ab aliis jam ſatis excuſſa: nullos, ne dicam paucos fontes ad hujusmodi modos oriri credimus: illud equidem non abnuimus, interranea telluris, fiſſuris, cryptis, antris, cavernisque inordinatè diſpoſitis, ſtriſtis hīc ampliōribus alibi, atque plurimis hiare, inanibus aliquibus, ſine humore ut SENECA ait, aliis ignibus, aliis & plerisque quidem

aqua repletis: ex quibus porro per stratorum stricè sibi incumbentium, tamen aliquo usque patentes commissuras, aut sabulo repletas, tetiamsi varie ad horizontem inclinent, ascendere possunt: vel etiam ignium subterraneorum calore sublimari, ut postmodum fontes aliqui ita nascantur.

Sed ex eo maxime Montes aquarum thesauri nomen promerentur, & plerorumque fontium veluti promptuaria haberi, arbitror, quod ex illis illabentium nivium & pluviarum aquae, solidis rupibus & cautibus exceptae in inferiora prolabantur, aut fissuris, si quae sunt, & cavis meatibus haustae, vel arenosa & sabulosa injacente terra absorbtae, demum saxosis aut argillaceis stratis, ne quoviscunque profluant & dispereant, sustentatae ac collectae, & juxta eorum ductum & clivositatem derivatae, elutriata tandem via foras & in auras, sub fontium nomine, prorumpunt: qui primo rivulos confluyendo, deinde rivos aut torrentes, & novissimè flumina & fluvios efficiunt, ac propterea non immerito, ceu pro affluente è Montium promptuario munere & dono habentur.

Pluviales autem ac nivales aquas [illas vaporum ad Montium cacumina, & intra illorum rimas & antra resolutorum, quemadmodum post ARISTOTELEM *Meteor. L. I.* HALLEJUS *Ast. Lond. 1692. n.º. 193.* contendit non comprehendendo] fontium & fluviorum originem constituere, praeter PEIRESCIUM in *Vita L. III. 202.* LEONARDUM LESSIUM de *Provident. Numin. & ISAAC. VOSSIUM de orig. Nili*, comprobatur etiam non rejiculis argumentis D. COLONNE *Hist. nat. Tom. III. 47.* & calculo demonstrat D. MARIOTTE *Mouv. des Eaux 37.* & necdum quartam, imo sextam etiam, si vis, earum partem requiri, quod idem ipsius Montis nostri exemplo comprobari posset. Namque cum in eum frequentiores uti diximus pluviae cadunt & nives, facile statui potest, quovis anno ad minimum 36. digitorum, seu trium pedum altitudine aquam ejus superficiei illabi, tantundem enim Lucernae quovis ferme anno decidere observatur, non computatis insolitis

solitis & non vulgaribus procellosis imbribus & exhydryis; quia autem Montis superficies cum ipsa ejus adjacente acclivitate, imas in occasum & septentrionem extensas radices haud in calculum ducendo, sit 36. quadratorum milliarium Italico-
rum, seu pedum quadratorum 900000000, tota pluviae quantitas unius anni decursu erit 2700000000. pedum cubicorum, cujus si quartam saltem partem intra terram absorberi, tribus reliquis evaporationi, vegetationi, & torrentium temporario augmento, attributis, supponimus, nempe 675000000. pedes cubicos pro alendis perennandisque fontibus: quovis horae minuto profluent ex Pilato 1284 & $\frac{1}{2}$ ferme pedes cubici aquae; tantam autem ingentemque quantitatem, si scaturigines omnes rivosque hujus calculo comprehensi soli in unum componeremus, nequaquam profundi, facile attentus arguet, imo vix ultra medietatem hujus quartae partis, tempestate impluvia & sicciore infumi; adeo ut merito colligamus magnam adhuc earum partem vel ultra ipsam extimam crustam non defluere, vel si defluat, aut torrentes ciere, aut etiam per ipsas rupium fissuras & hiatus, omnino in infima delabi, sine dubio usque dum in eundem ac proximi Lacus horizontem penetraverint, quocum communicare illas haud absolum credimus.

Et profecto non ex alia, quam praedicta causa, est, quod circa summos Montis tractus tam paucae scaturigines occurrant; ex meridionali enim latere tres duntaxat summo fessorum & aestuantium taedio, profluunt, qui duos rivulos, aestivis siccitatibus tenues admodum constituentes, ad imam vallem, ut torrenti quem *Schlueren* vocant, & qui ex occidente in ortum recta quasi labitur, se conjungant, praecipites ruunt; primarius eorum occiduus magis, aquas vehit limpidas gelidasque sed graves; in valle illa, quam secundarium jugum cum primario efformat, in Alpe *Leub* satis alto loco oritur; alter, cujus aquae minus clarae & albicantes, Soli omnino obversus, facile incalescit, ita ut ambo ad potum minus idonei sint. Tertius qui ex *Antro Lunari* profluit
G 3 tenuis

tenuis admodum rivulus , post breve spatium iterum intra saxa forbetur , aut siccescit , hujus maxime aqua dura & gravis est , faucibus enim pota resistit , per quas aegrius descendit , saxum manifesto aut calcem sapiens , eaque fermè de qua Poëta ,

- - - - quae saxea reddit
viscera - -

hanc praeposteram qualitatem in ipsa sua origine acquirit , delabitur enim guttatim per rupium fissuras in antri cavitatem , cujus parietes , usque dum in pavementum pervenerit , lambit & eluit , saxorum substantiam perpetuo madore exsolvens , quod dum fit lapideis ramentis tenuioribus impraegnatur , relictis ad concavas antri superficies , & haerentibus crassioribus terreisque magis sub luti albicantis forma , de quo mox suo loco dicemus. Quod autem aquae in hoc antrum continuo confluant , mirum videri haud debet , si perpendimus illam in summo monte exstantem planitiem , quam *Wilderfeld* , supra diximus nominari , in occasum , nempe versus cavernam istam inclinatam , vix non sex continuo mensibus altis nivibus submersam esse , reliquis sex frequentibus & magnis saepe pluviis irrigari.

Sic quoque amplissimum spatium Montis ad sustentandam alteram scaturiginem , in facie hac de qua loquimur meridionali , sinistrorsum sitam , concurrat , quod in valles excavatum , non exiguam aquae quantitatem derivat : cujus tamen major pars subtus terra delabi necesse est : progenitus enim ex ea rivulus modicus est admodum , & quia per petrarum calcariarum fragmina , ac collapsa marcescentia & senio confecta ligna devolvitur , non nisi , quam cui intollerabili siti fauces exuruntur , grata esse potest.

Ortum spectans Montis latus , licet ad duo milliaria in longitudinem extensum , paucos itidem admodum fontes numerat , & unico duntaxat rivo in proxime subiectum Lacum
Alpe-

Alpenacensem delabente, conspicuum est; qui & ipse in supera illa valle, inter duo juga sita, qua parte in ortum inclinatur, scaturit, & praeceps admodum ruit; addi huic vix meretur alius ex hoc latere rivulus, sed tenuis adeo, ut vix collectus illico iterum inter saxa dispereat; nascitur is è rupis crepidine seu antro quod circa mediam altitudinem hujus jugi hiat, & ejusmodi, cujus paulo ante meminimus, incrustatione limosa notabilis.

Paulo feracius perennium aquarum, quae sub dio manant, est latus Montis septentrionale, & qua occasum spectat, utpote rivis aliquot, inter quos duo non adeo tenues, irriguum, & qui in ipsa Pilati Schenographia aptius oculis perlustrantur quam sermone singulatim describuntur; hoc autem omnibus commune est, ut torrentes quoque imbrum vi adaucti evadere soleant: aquasque eorum ad potum haud ineptas esse. Imo quae Lucernae potissimum ex publicis fontibus usu veniunt, ad radices hujus Montis scaturiunt: meliores sine dubio futurae, si scaturiginum ipsarum selectus haberetur, & minus itineris, quod proxime trium milliarium est, intra abieginos tubos, quandoque vix unius pedis altitudine infra terram sepultos, illis esset emetiendum; sunt etenim inter graviores fontanas & leviores medii ponderis, saporis alieni ferè expertes, & cum ebullierint auricalceis vasis tenuem admodum tunicam, veluti ex Tripolitanae terrae subtili pollinis aspergine, relinquunt.

Inter hujus lateris rivos vero, ob horrendas exundationes notandus imprimis est sic dictus *Krien-* vel *Grien-Bach*, quia juxta lapillorum & calculorum, saxorum magnam vim, si vel minimum increseat secum rapere soleat. Fons ejus versus summum Montis non longe a scopulorum *Castelen* dictorum radicibus in Alpe *Boueren* ex herbido solo copioso latice è scrobicula prorumpit, qui & comites meos & me aestuantes gelida sua gratissima non semel refecit. Defluit is recta quasi in Septentrionem, accedentibus deinde paucis aliis fontium

fontium rivulis aliquatenus auctus, alveo maxime declivi, & inter horridas anfractuofasque crepidines excavato, mox paulo minus inclinato, deinde iterum praecipiti & scopulis conferto demum in flumen *Ennen* irrumpit. In itinere ubi alveum minus praecipitem diximus ad initium vallis admodum amaeanae quae in orientem versus Lacum, & Lucernam excurrit transversim & ad radices montis in occasum siti profuit: hinc si pluviis vel imbris augetur, quod frequenter accidit, facile ex alveo redundat, & humiles ripas vel transcendit vel perrumpit, & per planam vallem prolabitur; imo quondam totis undis, vel saltem potissima earum parte, hac defluxisse, ex planitie ipsius vallis, & illius maxime quae ad meridiem Urbis nostrae jacet, deduci potest; utpote cum alluvionibus efformata deprehendatur; strata enim subterranea modo ex glarea & lapidibus, modo ex sabulo eodem quod etiamnum torrens advehit, alternatim constantia deprehenduntur. Imo ipsam Urbis partem meridionalem cis *Rusam* his alluvionibus inaedificatam aliquoties luculenta vestigia demonstrarunt; Anno enim 1577. cum pro Scholis publicis, & Anno 1587. pro primo *P. P. Jesuitarum* Templo fundamenta effoderentur, reperta sunt tria ex ordine è majoribus lapidibus, quos improprie vulgus filices nominat, platearum pavimenta, unum alteri pedibus sex superstans, & adhuc sub imo horum erecti quaterdecem pedales pali, quibus procul dubio aedificii alicujus fundamenta quondam superinstructa fuere; similiter subtus *P. P. Franciscanorum* Monasterium amplae adhuc dum exstant cavae, alluvionibus ferme repletae, quae quondam culina, vinariae cellae & forte etiam triclinium fuerant; exstructum enim est, & fundatum, ab ultima Stemmatidis *de Rothemburg* Comitissa GUTTA, A^o. 1223. taceo referre quod ante non multos annos cum pro splendida domo *Seriniana*, prope ipsum hoc monasterium, fundamenta foderentur, ad 10. pedum profunditatem vestigia officinae ferrariae reperta sint, & mulorum soleae ac murices quadriculpidati intra lapideam concham, qua ferra extingui à fabris solent, jacentes.

Quia

Quia vero tot alluvionibus praedictae Urbis parti certissimum excidium minabatur hic torrens, neve fertilis illa vallis omnino desolaretur, ac fundi maximè laudatae Comitissae everterentur, authorem fuisse, sed vacillante admodum fide, D. FRANCISCUM *Affisiatem*, qui circa illa tempora apud eam & Lucernenfes ad monasterium instituendum operam navasse narratur, ut argine exstructo recta intra alveum totus coerceretur, angustae etiam fauces, per quas inter rupes illi via non satis patebat, ampliarentur; quod & ita factum est, parva saltem rivi portione per aperturam cavi trunci cratibus custoditam in vallem admissa, qua rotae molendinorum & aliarum machinarum per vallem ad urbem usque frequentium, verterentur.

Nec quidem sic diu res in tuto mansit, quin anti-
 quas lites torrens renovaret. Notatas habemus damnosas eru-
 ptiones Annorum 1333. 1475. 1530. 1554. 1557. 1570.
 quae plerumque vel ad Julii mensis exitum vel circa initium
 Augusti accidere. Propterea A°. 1577. proprii operarii sub
 Praefecti directione, & annui pecuniae redditus constituti sunt,
 à quibus continuo vel novis alluvionibus repletus alveus libe-
 raretur, capris & fuculis evulsa enormia saxa in ripis locan-
 do, vel aggeres sedulo reficiendo & custodiendo; imo non
 temnendis dispendiis, rupes, quibus intumentes aquae nimi-
 um coercebantur, aliquoties, annis maximè 1572-77. 86.
 excisae sunt viaque iis amplior profundiorque reddita.

Sed quis fatis edomaverit torrentem? etenim

- - - *Alpinus largo cum plurimus imbri*
Jupiter incumbit sylvis, vel anhelitus Austri
Incauas hyemes, & Brumae frigora solvit;

subitaneis aquis ex omni parte magna copia confluentibus:
 horrendum in modum solet intumescere: & cum per praeci-
 pitia labatur, exesa montis viscera secum devolvit, ingentem
 videlicet non terrae duntaxat arenae & calculorum vim, sed
 stupendae molis saxa, & suffossis radicibus collapsas integras pro-
 cerissi-

cerissimas abietes; ita ut alveus, maximè ubi is angustior & minus inclinatus est, momento fermè expleatur ac obturetur. Tunc furentes aquae congestas ripas & laboriosos aggeres subter & super aggrediuntur, eosque pauca intra minuta eluvione suffodiunt, effringunt, disjiciunt, praecipites agunt, & immani impetu qua facta porta in vallem erumpunt;

- - - *Tumidas cum vortice Torrens*
Saxa rotat, volvitque nemus, pontesque revellit:
Frangitur objectu scopuli, quaerensque meatum
Spumat & illisa Montem circumtonat unda. CLAUD.

Vidimus enim non semel quidquid obvium esset furibundum & perniciosissimum torrentem arripuisse, casas, horrea, stabula, officinas fabriles, malleos ingentes & incudes aliquot centenariorum ponderis, fabriles Machinas & Molendina subvertisse, & aliquousque evexisse, & quidvis obvium hominum ac pecudis, arripuisse. Vidimus radicitus evulsas proceras arbores, maximos illarum caudices & truncos ad tabulas ex iis scindendas destinatos, pontes & aggerum tigna, per vallis planitiem abducta, & quod agricolae maximè deplorarent, erosa fertilissima prata, sepultos sub advectis lapidibus, & altis arenarum tumulis, campos:

Cernit cum stabulis armenta natantia pastor;
Sternuntur segetes, & deplorata colonis
Vota jacent, longique perit labor irritus anni.

licetque per longam trium miliarium planitiem dispersas aquas, lassatas credere fas esset, attamen denuo collectae magnis adhuc & furentibus fluctibus, non duntaxat in fossas submoenianas, sed per ipsam Urbis portam, & illam aperturam, qua rivus in eam admittitur, irruerunt; cumque suo alveo capi non possent, per plateas exundantes, & undequaque excurrentes, aedes in ipsas se trudebant, & domus quaevis veluti insula facta est, mutuumque hominum auxilium pontes itidem evertendo, rescindebant: demumque cum immanis

ois impetus tandem deferbuisset, limo fabuloque advectisque
quisquiliis repleta cavaedia, & compita relinquebant; & pro-
fecto habemus in hoc torrente, quod merito ac in posterum
timeamus, ne is aliquando operam omnem eludens Micropoli
nostrae funesto vix non sit excidio

Utinam Patriae sin vanus haurispe!

Triennio postquam haec scripta sunt, Anno nempe
1741. 10. Augusti rediit denuo hujusmodi aerumnosa inun-
datio, & in eo terribior maximè, quod tam à Pilato quam
aliis etiam vicinis Montibus ingens aquarum vis à subitaneis
circumquaque exhydryis delapsis, collecta & effusa impetuosi-
simè non solum in Urbis fossas, sed & per ipsas vias extra
fossas in proximum Lacum rueret, pontemque, qui primum
Anno 1333. exstructus fuit, & diu pons novus vocabatur,
nunc *Cappel-Bruck*, plurimarum arborum truncis advectis, non
quassavit duntaxat, sed etiam tignorum jugamenta disjecit,
viam in Rufae alveum sternendo & proruendo. Insanabile
fermè ulcus immanis hujus torrentis & unicum mihi ad in-
hibendas Urbem versus ejus exundationes remedium videba-
batur, si alveus profundior illic redderetur, ubi torrens ver-
sus Emmae Flumen per crepidinem angustam admodum de-
labitur; quod consilium ab Aedilibus probatum, executioni
mandatum fuit. Ex eo tempore haec bella & quaerelae de-
fuisse videntur, & adhuc minus pertimescendae essent, si
stricta illa crepido, per quam defluentes aquae maxime impe-
diuntur, aliquot pedibus adhuc, vivum saxum igne & ferro
eiiciendo, excavaretur.

Ferocia huic torrenti in eo duntaxat cedit alius magis in
occidentem situs, quem *Rumling* a rumore trudentium sese
aquarum sine dubio sic dictus, quod, ubi magis a suis fonti-
bus discessit, per loca ruat in hospita & inter inaccessas rupium
fauces ac barathra impune debacchetur, nisi ostio vicinus, ubi
~~Emmae~~ llabatur, nam riparum munimina illic subvertere solet,

& quandoque instratum pontem abripere, & proximos campos inundare; antequam strictiones illas, sublabitur, vallem *Eithalam* permeat, satis pacificus, & aggerum patiens; isthic etiam lapidissimas Truttas alit, ut & ranas praegrandes esurialibus diebus prae cunctis exquisitas. Fons ei non unicus, sed primarius, in Alpe supera, non longe a Pilati palude ad clivum dorsi in occasum protensi montis, oritur; est fons iste altissimus omnium montis nostri, nisi forte rivulum ex lunari caverna effluentem excipias; alitur diuturnis nivibus & frequentibus pluviis: illae raro Augusto etiam mense omnes liquecunt, cum parum admodum orienti soli pateat locus. Ingratus essem, si beneficium a nive hac acceptum conticerem, cum enim aliquando in superum occidentale jugum ascendissemus, exoptato nobis refrigerio fuit: curavimus quippe ejus copiam asportari qua vinum, praeferendum omnibus, in hujusmodi excursionibus analepticum, algidum reddidimus, unusque ex comitibus, qui abstemius erat, & omnis aqua longe lateque abesset sitim aestumque, eam uberrime forbendo, nec minima subsequente noxa, temperavit. Frigida, & ipsa nivalis tutius in montibus bibitur, etiam copiose, quemadmodum testatur SCHEUCHZERUS contra SIMLERUM, *de Alp.* 124. b. de ipsa etiam glaciali *Nat. Gesch. P. III. p. 114.* & jam dudum quoque notavit GESNERUS in Descriptione Montis nostri, causam assignans juxta positionem contrarii, quia calor nativus intra se magis colligatur & augeatur, adjuvante etiam aëre his in locis vix non semper frigidiusculo; addit porro motu & ambulatione citius incallescere, nec ad cor illi-co frigidam rapi, juxta quod partim per sudorem, partim per urinam facilius inanietur. Prior vero ex eo salubrem statuit quod in primis viis humorum acrimoniam temperet, sanguinis in venis nimiam concitationem, ejusque evaporationem remoretur: pondere suo ad renes immunditias trudet, & demum flaccidis fibris tonum restituat.

Sed quid? edic mihi, ad refocillationem ex continuo per ardua motu aestuanti corpori nostro exoptatum magis, jucundius,

dus, item & salubrius esse potest, quam frigidae haustus, qui ad summam rarefcentiam concitatos humores mitigat, ebullientes veluti in quietem reducit, ultra modum evaporantes retinet, & quod iterata expiratione & adaucta transpiratione humidi copiose dissipatum est, restituit, concentratasque salinas acres & acidas particulas, sulphureas item viscidas tenacesque denuo resolvit & diluit. Ipse vasorum diameter, non duntaxat ob minus in summis hisce locis atmosphaerae pondus ampliatus, sed & rarefcentis liquidi elatere summe dilatatus, in naturalem reducitur, restrictisque & roboratis fibris, cum intestinus vehementior motus reprimatur, progressivus augetur, ita ut quae etiam infarcta obstructaque fuerant, aut lentore humorum irretita, referentur ac emundentur.

Sed quemadmodum

Nil prodest quod non laedere possit idem:

suis quoque cum cautelis gelidae montium adeo celebratae bibendae sunt; qui etenim mox a motu concitatiores aestuans & anhelus, ac corde adhuc subsultante huiusmodi avidius ingurgitaverit, certo laedetur, inprimis si modum haud servans affatim ingerat, nam per intervallis distinctas vices, & mediocribus scyphis hauriendae, ac postmodum iis saturi necessario iterum instituto motu eas distribuatur & digeratur necesse est: qui secus fecerit vix innocuam, quaecunque illa sit, experietur, nec illam in *Hoia Orcadum* scaturientem bona, D. R. SIBBALDI venia, exceperim, quam adeo stupendae laevitatis depraedicat *Prod. H. N. Scotiae P. I. L. I. p. 23.* ut si quis potando integrum dolium in stomachum trajicere possit, nullatenus se graviolem inde effectum sentiret. Ex subitanea etenim gelidi potus constrictione fibrarum, & intra tenuia vascula ac exiles tubulos, tum qui recta excurrunt, tum qui in maeandros & glandulas glomerati sunt, fluitantium humorum refrigeratione, stases facile inducentur, & scirrhorum aut tuberculorum initia, ac postmodum appulsu subsequantium incrementa, à quo Dispnoe ac tusses pertinaces saepe chro-

nicae, deinde sanguinis per tracheam eruptiones, & demum ut verbo dicam, Phthisis ipsa, ulcus & Tabes pulmonalis. Omnino juxta *Divini Senis* effatum *Aphor.* v. 24. & *L. II. de Diet.* S. 16. ubi gelidum humidum in corpore congelare pronuntiavit. Sed nec praecordia duntaxat pectusque laedere, dorsum praeterea & ventriculum, imo ossa, dentes, nervosque *L. de Liquid. Usu.* S. 18. & *seqq.*

Et profecto si perpendimus quod vix alicubi frequentius, quam apud Pilatini Montis proximam Super- & Sub-Sylvanorum Gentem Morbi pectoris suppuratorii, ipsaque Phthisis pulmonalis obvenire soleat, vix non primariam causam gelidae potum accusabimus: hujusmodi enim plurimis fontibus montana illa Regio gaudet, utpote qui ex Aquiloni obversis Montium lateribus maximè profluunt; hos toto anno, sed aestate potissimum, avidè bibit gens illa, cum suis laboribus exercetur

- - - - - alto
Anne sitim levat, & victu contenta minuta est,

ut GLAREANUS noster meminit; & quia ardua regio, necesse est monticolis illis ex profundis vallibus alta scandere, & armenta, hybernumque pro iis pabulum sectari; unde corpus plurimum incalescit; ita sitibundi ad obvios quosque fontes aut rivos gelidam intemperantius hauriunt, quae subitaneo illapsu aestuantibus eorum visceribus eam labem infert, quam primo indurata tubercula, deinde fabes & sanies insequitur; concurrunt introducendo, augendoque malo quotidianus feri lactis, ejusque ob illecebras frigidi, nec calentis, potus, quo profecto ob conjunctam aciditatem, & potentialem, ut Scholae vocant, frigiditatem ad figendum sanguinis cremorem nihil aptius & pejus; deinde etiam difficillime concoquendi, & ventriculi nisibus tritrandi, casei tenacis & avarè ebutyrati frequens & vulgariter sine pane esus: ventique demum nunc tepentes humidi Austrini, mox Aquilonares & Hellespontii sicci gelidique, quibus patentior in hujus regionis valles aditus est, qui
non

non saltem in Pulmonibus millena vascula calente sanguine turgida alluit, sed & perhiantia cutis foraminula irrupit, atque inducta stricture liberum ejus meatum sustollit.

Verum illud certè montanis aquis non denegandum, quod minus aliis, si sua cum cautela bibantur, noceant; puriores enim & molliores sunt, ut laudatus saepe GESNERUS in *Descript. Mont.* etiam testatur. Noster itineris Socius hydro-pota praedictus, cujus testimonium, quia vino & aliis spirituosus liquoribus palatum suum nunquam exusserat, apud me plurimum valet, nullibi, cum tamen multas regiones peragraverit, meliorem se bibisse jactabat, quam ad pedem rupium Pilati: ridens ad aquam insipidos Oenopotas continuo ingeminabat illud ferme CASTORIS DURANTIS

*Hanc mihi si quis aquam dederit, vinosa valete
Pocula, nam vincit optima lympa merum.*

Causam bonitatis hujus exponit Doctiss. SCHEUCHZERUS *Itin. Alpin.* II. p. 71. Ego propterea maximè puto laudabiliores montanas, quia ex alto profluant, sequitur enim quod leviores sint, utpote origini suae vicinae, ettenim cum ex coelestibus colligantur, hae vero omnium levissimae sint, & illas leves esse oportet, frigidus enim montium aër & imminutum in iis atmosphaerae pondus minus apta sunt, ad depraedandum aut expellendum, quod subtile & tenue aquae habent, cumque intra puriorem terram, utpote clivosam perpetuis pluviarum elutionibus depuratam, absorptae percolentur, adventitiis partibus haud inquinantur, imo si quid etiam heterogenei in ipsis nubibus concepissent, facilius in colatorio hoc puriore deponunt & amittunt.

Paulo infra, de qua ante, primam rivi *Rumling* scaturiginem, Austrum versus prope ex male junctis abiegineis truncis exstructum tuguriolum, quod totius Montis altissimum est, alius fons effluit, cujus aqua ingrata admodum manifeste terrestre quid sapit, & color in fuscum tendit. Anne haec illa sit, quae

quae Tertianae paroxismos depellendi vim habeat, ex GESNERI succincta nimis mentione erui vix potest: nec apud hodiernos Montis accolae ullius circa haec confinia fontis ejusmodi viribus praediti memoria exstat. Ea tamen virtute hanc aquam pollere facile crediderim, etenim ad terrae tumulum colligitur, qui vix alia herba quam *Bisforta Alpina media* densissime est confitus, hinc pluviales & nivales hujus plantae sub terra annosarum & marcescentium radicum tinctura & viribus medicis imbui facile est, quae cum adstrictoriae sint & alexipharmacae, haud dubitamus, subeunte paroxysmo ab affatim hausta hac aqua, & deinde instituto, non perfunctorio, qui in his locis alius esse non potest, corporis motu, ac propulso sudore febrim depelli, quam aliis remediis rationi minus consentaneis saepenumero cedere observamus. Sed quidquid de hac scaturigine sit, eam tamen usui quondam alicui speciali destinatam fuisse propterea arguimus, quod ex ostiolo profluat, non nisi studio compositis lapidibus constructo.

Inter fontes ob frigiditatem sui laticis commendandos, celebris etiam est, qui in *Gelidi Balnei* usum adhiberi solet; scaturit is ad ultimum ejus in Africum excurrans jugum, loco Entlibuchani Territorii qui *Blattertschwendi* dicitur, prope Alpem, a *Fratribus* dictam: *Zu den Brüdern*. Aqua fontis foterii cavo & capaci trunco colligitur, cui se Balneantes, quemadmodum GALENUS monet subitanei immergunt, sed robustiores etiam vix ultra semi minutum frigiditatem sustinent, hinc bis, ter, quaterve immersionem repetunt, ut morbum repetitis veluti ictibus repellant. Laudatur ab accolis rheumaticos arthricosque dolores abigere, cephalalgias mederi, febres quoque intermittentes destruere: cujus effectus testem audivi pecuarius, unica saltem vice subeunte paroxysmo, hoc algido sed momentaneo amuleto a diuturna Quartana liberatum. Fuit autem frigidorum Balneorum excellentia ab omni aevo celebrata, ususque eorum apud omnes ferme populos, Graecos, Latinos, Arabes, Indos, imo Germanos, non ignotus nec infrequens; quemadmodum legimus apud HIPPOCRATEM *L. de Humid.*

Humid. Usu & *Epid. L. I. 17. II. 10.* & *Aphor. V. 25.* *PLINIIUM H. N. L. XXIX. C. I. XXX.* *GALENUM L. I. ad Glauconem.* *STRABONEM in Geograph. L. LXV.* *ORIBASIIUM L. VI. C. 27.* *ARRIANUM de R. G. Alexand. L. II. CURT. L. III.* Rem autem ex professo agentem laudamus *ADAM. BRENDÉLIUM Dissert. de Balneis Veterum*, juxta alios Recentiores quam plurimos, praeterquam enim quod simplicissimi & facillime parabilis lavacri genus est, non duntaxat praenominatis affectibus medentur hujusmodi balnea, sed innumeris ferme aliis, quos ex *D. FLOIERI Inquisitione Balneorum Angliae* huc transcribere supersedemus. Hinc est quod non unice hoc, de quo nobis nunc sermo, gelidum Balneum sed alia etiam intra Helvetiae limites ab immemorabili tempore laudentur, quorum recensionem fecerat *D. WAGNERUS Hist. Nat. Helv. 123.* & *seq.* & adauctam magis *D. SCHEUCHZERUS in Hydrograph. Helv. 295.* & *seq.* inter illa duo sunt alia Pilato contermina: Celebre illud in *Montis Regii* jugo occidentali satis frequentatum: alterum in *Subsylvanis Alpe* cui *Rischi* nomen. Agunt autem, si opinio non fallit, triplici actione in corpus humanum; duae sunt & calidis communes, pondus & humectatio, illud quidem tantisper majus, haec autem quam in calida, minor; tertia frigiditas est, hac humidorum motus progressivus pressione & strictione promovetur, & proinde inordinate diffusus calor a peripheria ad centrum cogitur, è quo postea, cessante retropulsionis causa, vividius denuo radiatur, cum simul etiam flaccescentes fibrillae ex laxis restituantur in tensas. Sed si ullibi illud sagaciosum medicorum dictum, remedium quidem esse certum pro morbo, sed an aeger sit etiam pro remedio? hic certe pensitandum est; requirunt enim haec Balnea sua peculiaria subjecta, quae robusta sint, densa, firmiter carnosa, nec ante tertium, nec citra sextum septenarium constituta, virilia potius quam sequioris sexus; nec nisi aestivo & supra horizontem satis elevato sole illis mergantur; tendunt huc etiam *Divini Senis* monita, de *salubr. Vict. rat. S. 4. Oper. 338. de Veteri medicina S. 93. Aphor. V. 21.*

Non procul ab hoc gelido in eandem plagam alterum etiam celebre Balneum jacet, quod antiqua denominatione *Kragen-Bad* vocant; eo calefacto utuntur, juvatque potissimum oculorum caligini & lippitudinibus: curat annosa ulcera, quorum dolores illico sopit, crurum maxime aut pedum; discutit quoque oedemata, rheumatismis, paralyfibus, ac etiam contracturis medetur; coeterum nec alvum movet nec urinas, sed sudores & hos inprimis circa caput. Color sedimenti, quod copiosum venit, subfuscus: dum nondum exsiccatum & adhuc molle tenax quodammodo ut ceraforum gummi; digitis attritum pinguedinem imitatur, imo pinguedo aliqua canalis, quo deducitur, lateribus adhaeret, ac balneantes se veluti inunctos sentiunt: luculento indicio aquam oleosum pinguem sulphureum succum secum ferre; abundare autem ejusmodi succum in subterraneis hujus viciniae, alii etiam manifestum sulphur olentes fontes, testantur, in proximo etenim Monte *Schein-Berg* duo scaturiunt vix inter se diversi, & odore, sapore item & colore, cum aquae eorum tantisper nigrescant, loturam bombardarum imitantes, sulphurque cum admixti nitrosi & calcarii salis & nigricantis bituminosae terrae portionem prodentes.

Ad ipsas etiam Pilati radices aliae duo ejusmodi scaturigines sulphuratarum aquarum promanant. Prima ad pedem jugi, quod in orientem excurrit *Lopper-Berg* dictum; è rimis rupium ad ipsam Lacus superficiem oritur, ita ut aquarum lacustrium augmenti tempore, mensibus videlicet aestivis, omnino vena ejus submersa sit, & non nisi reliquis pateat. Sulphur vulgare olet & sapit, coeterum limpida: veruntamen cum adeo infelici loco emergat nullis usibus eam aptare possibile est; de quo quidem propterea magis dolendum, quod altera huic persimilis, quae in *Rotz-Loch* stricto Lacus freto a *Lopper Berg* reciso, & vix 1000. pedibus distante loco e variis fissuris scaturiebat, ab aliquot annis deperdita fuit; cum enim ejus fontes propinqua essent cataractae, per praecipites rupes illic delabentis rivi, accidit ut isto subitaneis imbribus immaniter aucto

&

& tumultuante, aquae sulphuratae meatus subterranei destructi fuerint, & jam illae, aliorum, nec sub dio elabentes, omnino evanuerint. Utebantur eis ad potum, & culinam: etiam in victu salubres, itemque ad Balneum, quod quondam, cum viribus integriores adhuc essent, Anhelosi, Rheumatici, Elumbes, Calculosi, Steriles utero, Scabiosi & Ulcerati, cum fructu adibant, quemadmodum ex schedis PATRIS mei p. m. M. D. & *Phys. Lucer.* colligere licet; plurimum decessit huic loco a balnei istius jactura, quod satis apto aedificio cultum fuerat; subsistunt tamen adhuc molendina frumentarium & chartarium juxta malleos rivi lapsu commotos.

Non praetereunda est putealis illa aqua, quae vix 500. passibus ab Urbe Pilatum versus in planitie scaturit, in Praedio D. D. SCHUHMACHER; est autem ingrati admodum saporis nitroso-vitriolici, & odoris sulphurei foetentis; ex Gallae injecto pulvere fuscum acquirit colorem, & coeruleum inflectit in purpuram; hyeme qualitates istae vix deprehenduntur. A pyritarum exsolutione, aut micarum hujus naturae, quae sabuloso & friabili saxo, frequenter in his tractibus obvio interspersae offenduntur, illas promanare credibile est. Plures eam adeunt, quam antlia sublatam potant, impari vero laude: sunt tamen qui illam intermittentes febres abegisse affirmant, ventriculum roborasse appetitumque restituisse; item cachecticos pallores virginum sanasse. Vidi ex Pleuritide Empyematodem, qui cum tarde admodum convalesceret, usu hujus aquae meliorem sanitatem acceleravit.

Inter Pilatinos fontes, quibus aliquid singulare inest, referri meretur temporarius ille, quem ex eo majalem vocant, quia Majo mense manare, & Septembri denuo evanescere solet. Oritur is parum supra Lacus horizontem ad imum Pilati pedem in Sinu Alpenacensi, paulo ultra fontem sulphureum, cujus paulo ante meminimus; plusquam religiosa religio festos asserit Inventionis & Exaltationis S. Crucis dies, quibus & non ultra citraque erumpere soleat. Sed jam A. 1667. ELIAS

LORETUS notavit hos terminos tam statos haud esse: a rusticis enim sibi relatum narrat, anno priori aliquot diebus tardius emanasse, quod quidem etiamnum contingere, imo saepe antevertere illum tertium Maji observatur: & similiter pluribus aliquando diebus ante vel post decimum quartum Septembris deficere: prout nempe nives glaciesque in summo monte citius tardiusve solvuntur, a quibus, subterraneis rimis & cavitatibus exceptis, fons alitur. Experimentum hujus rei fecerunt aliqui Monasterii Angelomontani Religiosi circa alium consimilem fontem qui in eorum territorio prope *Graven - Orb* ad ipsam viam, loco quod *Kaltlee* nominant, erumpit; ascenderunt enim summitem imminentis Montis, & quas in patentem illic gurgitem, quem hyeme glacies & nives obstruunt, copiosas frumenti glumas injecerant, a scaturiente in ima valle e rupibus amplo fonte denuo eructari observarunt, qui illic pro experimento ad excubias stabant. Cum autem in Monte non nisi Sole Taurum ingresso nives liquefcere, & gurgitis orificium a glaciebus referari incipiat; illo autem ad Libram properante iterum constringi & gelari, mirum non est fontis reliquo anni tempore fluxum intercipi. Nec absimili modo contingere credimus phaenomena Rivi in Pilati socio Monte, sed humiliore, *Bürgen*, qui ad ejus Ortum jacet, & à jugo Montis *Lopper Berg*, parvo Lacus spatio refecatur, prima aestate defluere soliti; ruunt ejus aquae praecipites in Meridiem, sed non continuo & perenni defluxu: etenim pluries per diem cessat, deinde iterum recurrit. Nives enim Monti injacentes, cum non nisi Sole perstringente liquefcant, & fluant, si hujus radii variis obstaculis, nubium nempe intercurrentium, sylvarum, scopulorum ex opposito sitorum & prominentium umbris intercipiuntur, desinente liquefactione & aquae fluxus cessat, qui tamen mox post temporis intervallum redit, dum Sol in situm processerit, ex quo nives radiis verberari iterum possunt, qui & denuo liquari desinunt, si ejus ignes praedictis intermediis objectis de novo arcentur. Nec aliam causam coeteros periodicos fontes agnoscere facile crediderim; & ipsum etiam *Engstlanum*, tam celebrem non

non excipio de quo toties laudatus Plinius noster *Itiner. Alp.* V. 404. & *Hydr. Helv.* 128. Cum enim non nisi summa aestate de die, & irradiante potissimum Sole in altissimis montibus, ad quorum imum scaturit fons ille, liquecant nives, harum aquae per cava Montis delabentes, non nisi aliquot horarum spatio & vesperam versus per rupium fissuras ad infima pertingunt, ubi in apricum emergere solent, fluxu tandem continuant, quousque earum liquatarum penus tota effluerit; ad exortum nempe saepius sequentis diei, quo tempore deinde evanescent, cum nocte praecedente liquari in Montis summitate nives etiam desierint. Quod si dies nubili vel frigidiores aliqui, aut Aquilonii flatus, mensibus illis aestivis, quod non infrequens, inciderint, & ideo glaciei liquatio impediatur, fons omnino non comparet, quod antiqua accolarum superstitio ab injectis & illapsis sordibus, veluti ob contaminationis vindictam contingere credit. Sed Naturae haec Magia est, simplicissimo semper modo agentis, & injuriosum me illi esse crederem si Syphonibus, Diabetibus & Situationis culminantibus eam indigere tum facile statuerem. Meminere porro Fontium temporariorum paulo ante descriptorum LEOP. CYSATUS *Libro saepius citato*, p. 248. & ex eo ELIAS LORETUS in *Mund. Subterr.* KIRCHERI L. VIII. 116. WAGNERUS H. N. H. 131. & Doct. SCHEUCHZERUS *Itin. Alp.* V. 406. *Natur.-Geschicht.* T. II. 104.

Expedita modo fontium, rivorumque pro modulo nostro historia occurrunt Paludes vel Lacus quorum duo Monti inja-cent, Lacunae potius dicendi, tertius ejus radices aliqua ex parte alluit. Ordiamur a famoso illo & decantato *Pilati* nomine celebri. Ascensus ad eum facilius est ex *Eithal*, ex latere quo Mons occasum aestivum respicit per Alpem abruptis rupium fragmentis hinc inde dispersis non parum defoedatam, *Froh-Staffel*. Via, si eam cum aliis aviis & deviis hujusmodi montanis comparaveris, ardua licet, & quam non quivis in-cesserit, satis tamen commoda est, & armentis etiam trita. Postquam in dorsum rupis pervenimus quod horae circiter

spatio adipiscitur, monstrant pecuarii in vicina petra cavitatem semilunarem, quam ego non nisi casu inesse, vel ab otioso aliquo exsculptam judicarem, illi autem pro caballino vel Daemonis illius de quo *Cap. I.* diximus, vestigio venditant. Isthic sylva rupi infidet quae in meridiem facili clivofitate extenditur, & convallem format non inamoenam quam rivulus permeat fontibus ante memoratis oriundus. Sylva annosis confita est Pinis, densa & umbrosa, cujus

*Subter opaca quies, vacuusque silentia servat
Horror, & exclusae pallet muta lucis imago.*

Lucum dixeris sacrum

Quo possis viso dicere Numen adest,

si fabulis fidei tantillum adhibueris. Concludit enim Avernalem veluti, tetram nigramque paludem; quam è mucoso, & ob fracida ligna marcido atroque solo nivales & pluviales aquae isthic confluentes stagnando constituunt. Figura ejus inordinata circumscriptione ellyptica est, & quemadmodum eam A°. 1725. Julio mense reperimus, Tab. VI. Fig. 5. exhibemus. Tota ejus longitudo tum erat 154. pedd. & 78. latitudo maxima. Alias mensuras habet *Itinerarium Alpinum* l. Tab. II. p. 28. A°. 1702. Imo RENWARDI CYSATI temporibus circa 1560. 100. passus longitudine, & 50. latitudine aequabat. Etenim non eadem semper est, neque fuit paludis area, nec illud verum, quod in VADIANI *Mela*, Tit. *Cyraenaica*, relatum legimus, hybernis nempe Pilati Lacum nivibus non crescere, nec rursus aestivis contrahi caloribus; diuturnius enim si sudum fuerit ab extimo margine interiora versus decrescit, imo sole ardentius ac pertinacius sub Sirii ortum illucente, omnino ferme exsiccatur, atque evanescentes aquae paludis uliginosum fundum denudant, copiosa Menianthis, & ulvosi Graminis, imprimis tomentosi pullitiae vestitum. Profunditas porro ejus, quo maxima tunc esset, tres non nisi pedes assequebatur, nullisque fundum abyssi barathrisve hiare luculenter cernebatur.

batur. Compererat hoc etiam jam A°. 1585: R. Jo. MULLE-
RUS *Plebanus Lucernensis*, qui ampla societate conspicuorum Ci-
vium stipatus huc conscenderat, ut tum temporis increbescen-
tes de illo fabulas, laudabili sane zelo, everteret. Jussit ille
commilitones non lapides duntaxat, ligna & quidquid ob-
vium esset plenis manibus injicere, sed & servum itu & re-
ditu ex omni parte pervadare. Et ut imposterum portento-
sis commentis materia deesset author fuit, ut A°. 1594. Ma-
gistratus *Lucernensis* jussit Paludem suffodere, & stagnan-
tibus aquis exitum parare, & nequaquam propterea ut tem-
pestatum causa amoliretur, nec ob perpetuam nivium, imbrium,
nebularumque, ibidem, tanquam in proprio stabulantium do-
micilio colluvium, uti exaggerat ELIAS LORETUS *L. c.* quia
autem nimium huic operi loci difficultas obstabat, ince-
ptum quidem, postea vero omissum est.

Jucundior situs contigit altero *Pilatino Lacui* loco quo-
que multo magis alto; etenim paulo infra summum ejus ver-
ticem in *Alpe* ex latere meridionali, *Matt Pratum* dicta, stagnat,
undique aprico & herbido solo conclusus; ambitus ejus pro-
pemodum circularis, diameter 48. Pedes. Aqua ejus clara
est & limpida, nec uti pleraeque stagnantes in vallibus solent,
fundum offuscant, qui tamen vix ultra quatuor pedum pro-
funditatem, ubi altiores sunt, a superficie distare deprehenditur,

- - vides hic Stagnum lucentis ad inum
Usque solum lymphae; nec illic canna palustris,
Non steriles ulvae, non acuta cuspide junci;
Perspicuus liquor est, stagni tamen ultima vivo
Cespite cinguntur.

Alitur haec *Lacuna* nivium colliquamento & pluviis, nullo
tamen patente rivo, sed solo absorbtis per fissuras & rimas
aut inclinata plana rupium huc deductis; paulo infra eam ri-
vulus oritur, versus ortum aestivum scopuloso alveo defluens.
Nec pisces, nec aliud quoddam vivens alit, licet armentis huc
deductis non insalubris sit aqua: dubio procul propterea, quod
hyber-

hybernis mensibus loco adeo alto ad imum usque glaciari consueverit. Caeterum locus hic difficillimi accessus est, & non nisi unica via maxime salebrofa & ardua in eum patet, ex orientali duntaxat plaga; etenim qua Boream spectat altissimo rupium cacumine in occasum excurrente clauditur, reliquum spatium immanibus praecipitiis abruptum est.

Et hae sunt paludes, quas Pilatus dorso gestat, a fabulatoribus impudente Thrafonismo pro lacubus ebuccinatae: quo nomine dignus duntaxat, qui pedes ejus ex orientali latere lambit *Lucernensis*, quem alias etiam, *Quatuor Sylvestrium Civitatum* nominarunt. Laudanda opera ex professo eum descripsit jam Anno 1661. D. JO. LEOP. CYSATUS, *Inchyto Senatui a Secretis*, ac Topographica Tabula exhibuit, cujus Ectypa in MERIANI Helvetia, & in, nomine & scemmatibus mirabilis Auctoris, *Delices de la Suisse* p. 276. cernimus. Ideoque ejus omnem Historiam retexere haud juvat, sed pauca ad Naturalem spectantia saltem memorasse.

Occupat Lacus longam, sinuosam & plerumque profundam admodum vallem, quam praealti montes, praeruptique per omnem ferme circuitum cingunt: ex Euro-Noti plaga in Circii ferme extenditur non, equidem recta linea sed huc illuc incurvata. Longitudo ejus est 25. Milliarium Italic. Quam proxime, latitudo ubi maxima trium; non longe ab ejus extremitate Circium versus vallis haec Lacum excipiens sive ejus alveus utrinque ampliatur, & in duo veluti brachia, extenditur; dextrum versus Supernatem, 5½. mill. longum, finistrum vero in Africum 4. mill. long. excurrit, ubi tamen a Pilati jugo *Lopper-Berg*, & vicinis huic oppositis montibus *Burgen* & *Rotz-Berg*, antequam iterum explicetur, arctius constringitur; aquae quibus expletur circumcirca è montibus conflunt & eam, cum effluxus multo altior sit ejus imo, explent, alicubi quidem imprimis versus meridiionalem plagam ad 200. imo 300. etiam orgyarum altitudinem, borealem autem 120. aut 130, si maxima est profunditas. Potissimam aquae

aquae copiam ei adfert ex *S. Gothardi* Montis summitate per maxime confragrosos tractus, lapsu potius ruentium quam fluentium undarum

- - - horrendo crepitantique agmine *Rusa*,

uti *GLAREANUS* in *Paneg.* canit; quae ostio suo Lacus initium apud *Uranios* constituit; reliqui tres, *Mutta* videlicet ex *Suitensium* ad *Brunnen*, & duo *Aa* dicti ex *Subsylvanorum* ad *Buchs*, & *Super-*
sylvanorum territoriis prope *Alpnacht*, Lacui influentes potius magni rivi, torrentesve quam fluvii, minorem aquae copiam afferunt: plurimam vero si collectim sumpseris tribuunt rivi circumcirca e montibus, per altissimas aliquando cataractas, Aprili, Majo ac Junio, quando nives colliquesunt, uberrimè delabentes; collectis hisce aquis & vallem exlentibus Lacus constituitur, qui deum, ubi territorii minima altitudo, & effluxui locus patet, iterum in fluvium abscedit, eo ipso loco ubi *Lucerna* utrique ripae inaedificata est; qui postquam pristinum *Ursae* seu *Rusae* nomen denuo assumpsit, & jam, naves patiente alveo, adactus, primo medius inter colles, deinde per longam planitiem *Arari* junctus in *Rhenum* illabitur, qui porro ejus aquas Oceano, ceu primae suae civitati, imo metropoli, ac communi omnium & emporio & promptuario reddit.

Toto quidem anno aquae Lacus satis pellucidae sunt & clarae, sed circa aequinoctium vernale & Martio imprimis Mense limpidissimae observantur, ita ut eo tempore ad imum fundum usque, nisi ubi profundissimus est, visus penetret; observatur autem lapidosum illum plerumque esse & glarea instratum, aut sabulo arenisque: excepta saltem ea parte quae effluxui suo vicina & propinquior est, ubi limosus; hujus pelluciditatis causam arbitramur esse, quod adventante verno aëris tepore, nivales grossiores & congelatae particulae aquis immixtae radios impediētes exsolvantur, & aquae, quae a nive liquefactae primo affluunt, ab ejus superficie fluant, terreisque quisquiliis haud inquinatae sint; sed dum Atmosphaerae calor incrementum facit, etiam qua parte nives terram contingunt, liquecunt;

hinc & terreas particulas secum deferunt Lacum inficientes. Imprimis autem ejus superficies tunc temporis tenui quadam spuma defoedatur, ut pro potu, alias navigantibus solito, etiam a siticulosis aversetur. Lacum tum efflorescere dicunt, cum in hoc statu est: *Der See bluehet*; fortè non adeo impertinenter; nam huic producendo phaenomeno accedit & hoc, quod specie quadam fermentationis, immundities ad fundum, dum aquae frigidiores essent, jacentes, veris redeunte tepore, rarefiant, & leviores factae sursum truantur; quemadmodum cum cadaveribus accidit, quae non nisi intestina fermentatione tumefacta, ab aquis post aliquot dies rejiciuntur, & citius quidem aestate quam hyeme. Coeterum efflorescentiae istae, non nostro duntaxat Lacui sunt propriae; Tigurinum & Tugiensem Lacus eam quoque pati testatur *Itiner. Alpin. V. p. 375.*

Distinguenda vero sunt recrementa ista ab iis, quae sub finem Maji & Junii initium non in Lacus superficie tantum hinc illinc post ventos & pluvias, sed etiam ubique, ubi aquae parumper restagnant, observantur, constant illa pulvere flavescente, semini sic dicto Lycopodii tum inermibus oculis, tum per Microscopium inspecta, persimili; est autem pulvis hic floralis & spermaticus Abietis maris tunc temporis florentis, qui à ventis excussus undequaque dispergitur, simulque in fructus Foeminae incidens illos foecundat, & semina vivificat, qui verò pulvis hic cum in aëre volitat, pluviis abreptus in Terram dejicitur aut Lacum. Fama interim percrebescente sulphure pluuisse, inprimis cum, quemadmodum Lycopodii semen, in flammam exsuassus fulguret.

Cum porro motu, non equidem rapido, sed sensibili tamen, perpetuo cieantur Lacus aquae, & ab irruentibus rivis commoveantur & recentes veluti fiant, fluviatilium imo fontanarum instar ad potum laudabiles sunt, etiam media aestate subfrigidae, nec pondere graviores; quapropter pisces quoque alunt copiosos & varios, optimi succi saporisque, quos

quos suo loco recensebimus. Ex leni illo motu etiam est, adjuvante tum montium altitudine, quae gelidis auris obstat; tum profunditate vallis, in qua Lacus haeret, & quod inferarum aquarum perpetuus tepor superas foveat, quod Bruma non nisi insolite rigida obgelascat; verum è contra frequentiora sunt ejus augmenta, quae aliquando ad septem pedum altitudinem ascendisse notata sunt, quale fuit 1345. accidunt potissimum ad veris finem & aestatis initium, prout nivium copia praegressae hyemis fuerit, & subitaneis magis caloribus liquecant; tum enim per aliquot septimanas in incremento quandoque permanent: quia enim ad effluxum, qui unicus &, non adeo magnam aquae vim Rufae alveus capit, necesse est, ut in humilioribus locis, qui circa Lacum sunt, exundet, donec perennante defluxu denuo labatur, & decrescat.



C A P. V.

Vegetabilia Pilati.

Feracitatem Montis nostri magis generalem diligentia fortissima, cum de ejus Locis Cap. II. sermo fuit, prosecutissimus; nunc vero perpensis etiam Aëre & Aquis, specialis ejus fertilitas exponenda superest: Enumeratio videlicet ejus Solo aut Corio, ut ajunt, quod denudatis rupibus undequaque veluti lacerum est, innascentium Vegetabilium; etenim à multis retro annis etiam celebris ob rariores stirpes Pilatus fuit, quemque propterea multi ex illustribus Botanicis à CONRADO GESNERI aetate adierunt. Primo loco memorandi sunt Fratres BAUHINI, nobile par Botanicorum, quorum Opera, *Historia*, & *Pinaces*, Almagestum hujus Scientiae pro illorum temporis ratione efficiunt; & quamquam non constet, quod Montem ipsum accefferint, plures vero uterque Fracti seu Pilati stirpes commemorat: adde his proximè eorum concivem